Pieces contenues au present recueil

1

Les Chroniques et Annales de Poloigne, par Blaise de Vigenere, Secretaire de feu Monseigneur le Duc de Nivernois 1573.

2.

De legatione Polonica, oratio F. Balduini I.C. ad Cl. V. Ioannem Sarium Zamoscium Legatum Polonum. 1573.

3.

Caroli Carsi Pontificis ac Ducis Lingonum, Franciae Paris, et sacri Concilii Senatoris oratio, ad amplissimos Legatos Polonorum, Metis habita, anno D. 1573. ad 4. Id. Augusti.

4.

Stanislai Carncouii Episcopi Vladislauiensis ad Henricum Valesium Poloniarum Regem designatum panegyricus. 1574.

(5) in 4

Vidi Fabri, Domini a Pibrac, ad superiorem panegyricum responsio.

& 5

Harangue publique de bienvenue au Roy Henry de Valois, Roy esleu de Poloigne, prononcee par Stanislaus Carncovien Evesque de Vladislavie 1574.

7

Responce a ladicte harengue, par le sieur de Pibrac

8

Extraict d'une lettre escripte par un gentilhomme du Roy de Poloigne, a Miezrich, le 25. Janvier 1574.

9.

Io. Sarij Zamoscij Belsensis, et Zamechensis Praefecti, ac in Galliam Legati oratio, qua Henricum Valesium Regem renunciat 1573.

10. et dernier

La mesme harengue traduicte de Latin en Francois, par Loys Regius, suivant le commandement dudict seigneur Roy, et a la requeste des seigneurs Ambassadeurs Polonnois: contenant la declaration de son eslection et pourquoy il a esté preferé aux autres competiteurs. ou l'estat present diceluy Royaume est proposé au vray, et ce que les Polonnois attendent de sa Maiesté.

Fin.

DE LEGATIONE POLONICA ORATIO

FRAN. BALDVINI I. C.

Ad CL. V. Io. Sarium Zamoscium Legatum Polonum.

LVTETIÆ.
Ex officina Petri l'Huillier, via Iacobæa, sub signo Oliuæ.
1573.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

FRAN. BALDVINI I. C.

ORATIO DE LEGATIONE POLONICA

Ad clariſs. virum, D. Ioannem Sarium Zamoſcium, Legatum Polonum.

Ego verò doctiſſime Sari Zamoſci, propter quandam ſtudiorum ſimilitudinem atque coniunctionem, te inter tuos nobiliſſimæ iſtius Legationis Polonicę principes collegas audebo imprimis cõuenire atque honoris cauſa nominare, quem agnoſco talis tãtæque Legationis decus atque ornamentum magnum eſſe. Nam vel ipſi tui de Senatu Rom. libri eruditiſs. fecere, vt ante annos decem, cùm tu in Academia Patauina floreres, eiúſque etiam regendæ curam tanto cum ſplendore ſuſciperes, vt & clariſs. nomen tuum, & doctrinam liberalem atquē perpolitam, & verò veteris illius non modò Senatus, ſed & Reip. Ro. cuius leges & Iuriſprudentiam etiamnum in Andica Academia colimus, admirabilem memoriam admirari ceperimus, ex eoq; tempore laudare nunquam deſierimus. Sed cùm te nunc

ſaluto,tuos ſimul in hac Legatione collegas XII viros ampliſs. ſiue à Senatu ſiue à Nobilitate vel Poloniæ vel Lithuaniæ miſſos, verecundè ſaluto, quibus ego ſingulis, prout eorum dignitas poſtulat & meretur, honoris cauſa appellandis, non vnam orationem deberi lubenter agnoſco.

Neque verò me deterrebit, quod in iis libris eleganter docuiſti, veteris moris legíſque Rom. fuiſſe, vt ad Legatos venientes primũ egrederentur Magiſtratus minores, veluti Quæſtores: introductos verò eſſe in Senatũ more Maiorũ ab eo Magiſtratu, in quo ſumma eſſet vis imperij atque auctoritas. Ego enim nullas Magiſtratus vllius partes mihi ſumo: ſed interea dum vobis & excipiendis & introducendis & cohoneſtãdis operã dant principes in hoc regno viri, quibus id mãdatum eſt, priuata modò quadam gratulatione, tanquam fauſta acclamatione applaudo venientibus: & vt in illis tuis, quos dixi, Commentarijs docuiſti, quæ Legatis hoſpitij gratia dabãtur, Lautia dicta eſſe: de literis modò cogito, quibus tu nulla Lautia prætuleris aut munera eorũ qui lautiori vos Regióq; apparatu excipient. Quid enim aliud facere poſſum officij cauſa, qui Academia illa noſtra excitus atque excitatus ab ampliſs. atque ſapientiſſimo Regis iam veſtri, Principíſque noſtri opt. max. Cancellario Ph. Huraldo Cheuernio & inter Magiſtos Memoriæ Libellorumque eius Regis relatus, non debeo in hac publica gratulatione mutus eſſe: tametſi in hoc veluti procinctu imparatus

ſim ab omnibus ad dicendum præſidiis?

Sed neque oblitus ſum Zamoſci, quod in illis tuis de Senatu libris ſcitè tradidiſti, Legatos olim per interpretem, ſed qui Senatorij ordinis eſſet, in Senatu auditos eſſe, Reſponſumq; accepiſſe: vt & eo nomine laudaſti, quod Gellius, vbi agit de Legatione Athenienſium; quã tres Philoſophi nobiliſs. Oratores eloquentiſs. obiere, refert, eos in Senatu, interprete vſos eſſe Cæcilio Senatore. Bene habet: & has interpretis partes, ſi quando interprete vobis opus fuerit, datas eſſe, illi, quem iam honoris cauſa nominaui, Cancellario, quem aſſector. Sed ſi nullæ præterea ſint meæ partes, patiaris ſaltem, vt cùm arripiam, quod ſuggeſſiſti exemplum literatæ illius Legationis Athenienſium, cum eo coniungam, & ex Rom. hiſtoriæ literarumque memoria, in qua excellis, breuiter repetam alia, quorum non minùs tibi grata erit recordatio, exempla quædam nobiliſſimarum Legationum, præſertim togatarum, vt comparatio tamen ipſa veſtram hodie Legationem multò & nobiliorem & illuſtriorem eſſe oſtendat.

Fecialium Legationes illas, quæ fuerunt de bello & pace, miſſas faciam. Non enim id veſtra nunc agit. Sarmaticam etiam illam Maiorum veſtrorum, quos ex alio veluti orbe Romam veniſſe ad Auguſtum ſalutandum, L. Florus ſcribit, patiar faceſſere, tametſi obſeruauero, eius temporis fuiſſe, quo & Magi ex Oriente in Iudæam venerunt ad cunas Regis magni. Sed iam me continebo, Rom.

in memoria antiquiori, quæ non minùs tibi familiaris est, vt ex ea saltem repetam quatuor veluti selecta exempla, & in singulis obseruem Triumviros clariss. quos vbi coniungo, numero XII viros Legatos nobiles, quibus Antiquitatis illius literæ nullos edunt illustriores: res tamen ipsa & personarum & causæ & actionis comparatio efficere potest, vt illi vobis, potiúsquam vos illis cedatis.

Primum exemplum, quod & ordo temporis & ipsius quoque nostræ iurisprudentiæ memoria nũc mihi suggerit, dicam esse, cùm tres iurisconsulti maximi à Romanis in Græciam missi sunt ad leges petendas: quæ fuerunt veluti priora capita XII. Tabularum, quibus operam damus in schola iuris. Dico illos veluti Triumviros legum quęrendarum, Sp. Postumium Album, A. Manlium & Ser. Sulpitiũ Camerinum. Addo, comitem iis & interpretem datum & adiunctum fuisse Hermundorum Ephesium, qui & propterea statuam deinde Romæ meruerit, pulsum quidem illum sua Epheso, sed virtutis causa: tantóque propterea magis Romæ exceptum magno cum honore. Non enim eo tempore virtus & doctrina toto orbe pulsa exulabat.

Ecce Zamosci, quales ex illius Antiquitatis memoria imprimis excito tibíque sisto Legatos: neque cùm eos indicaui, quid velim, ignoras, neque tibi veteris historiæ perito necesse est, vt pluribus verbis dicam, illos non modò veterem Gręciam totam peragrasse, vt ab Atheniensibus & Lacedæmoniis se-

legerent Solonis Lycurgíq; leges, sed & illam Italię partem (nam & id Halicarnassæus testatur) quæ iam tum magna Græcia dicebatur, vt à Thuriis Locrísq; recentiores leges Charondæ atque Zaleuci repeterent. Egregia profectò Legatio. Sed vestra maior, nec tamen dissimilis. Nihil enim inter Regem & Legem interesse debet. Non existimo, cùm Athenas illi venerunt, tam corruptos & à legibus alienos Atheniensium mores fuisse, quàm paulo pòst esse ceperunt, cùm dictum est, Eos scire quidem quæ recta sunt, sed facere nolle: & Plato adiecit, valde bonum esse debere, qui Athenis bonus sit: verum etsi non minùs negare quã fateri pudeat, quàm corrupti & degeneres nunc sint Galliæ nostrę mores, in quã venistis ad Regem requirendum, tamen veteres Francorum leges optimas, & ad regnum bene temperandum sapientissime compositas etiamnum extare dicam: quas si cum Rege (non enim Regem legibus solutum petitis) domum referatis, si quas vestris adiungere velitis, quid est, cur maior esse debeat gloria vel Triumvirorum Legatorum, quos dixi, vel ipsorum X virorum, qui XII Tabulas edidere, quàm XIII virorum hodie Polonorum Legatorum? Ego, qui leges Rom. doceo & profiteor, non debeo fortasse Censor earum esse, quarum sum interpres in schola. Sed magis impudenter fecero, si inficier, multa in illis XII Tabulis notari posse, quę & nostræ Galliæ & Polonię vestrę Iurisprudentia iure meritóq; repudiauit: neque mihi fuerit

facilius quicquam, quàm id pluribus verbis ostendere, si opus esset, vt comparatio vestram sapientiam grauitatémque magis atque magis illustret. Neque tamen tam aut nobis aut vobis blandiar, vt non agnoscam & in Francicis & in Polonicis legibus multa esse quæ vicissim notari possint, & emendari debeant. Sed id videritis domum reuersi. Illud nunc dico, in vna certè Lutetia Parisiorum, quam videtis, multas Athenas esse videri, neque vobis hic deesse, quod Legati illi Romani Athenis viderunt. Fateor ijs occurrisse Senatum Areopagiticum, qui eo tempore etiamnum florebat. Fateor ipsum Periclem Cimonemque Atheniensium principes tunc vixisse: cum quibus de tota Repub. conferre Legati illi Romani potuerint. Sed an nullus hic vobis Areopagus, nullus Pericles, Cimon nullus occurrit? Facessat turba impuræ & colluuies lutosæ & feculentæ multitudinis, cùm qua vobis nihil est rei. Egregios certè aliquos viros, si qui vsquam sunt, credo hic vobis occurrere: &, vt ex togatis multis vnum, qui multorum loco sit, nominem, qui & vobis iam familiariter notus sit, honoris causa iterum nomino, illum nostrum, Regis quoque vestri, Cancellarium, quem iam ante nominaui. Quid dicam, vt cōparationem reliquam pertexam, missos in Græciam esse illos legum quærendarum Legatos, quo tempore (nam & id diligenter ex Chronologia obseruaui) Græcia post extinctum bellum Persicum, dissidio in

testino conflagrabat, & bello plusquam ciuili inter Athenienses & Lacedæmonios ardebat. Sed ne id quidem Legatos deterruit. Et bene habet, (quod & nunc non temere laudauero) illos fecisse, vt à quibus leges repetebant, ijs pacem domesticam diuturnámque, cùm discederent, relinquerent. Nam & quale tunc fœdus inter Athenienses atque Lacedæmonios ictum sit, recordor, & cum Legatis illis Romam reuersis, latæ sunt XII Tabulę, altam & beatam toto terrarum orbe, & nominatim quidem etiam in Gallia, Hispania, Italia fuisse, Diodorus scribit. Quod cùm dico Zamosci, non dissimulo, quid nunc vel à vestra Legatione speret Gallia, vel post discessum quoque vestrum expectet à vobis: vt concludam, quamuis biennium in sua siue Legatione siue peregrinatione Triumvios illos Legatos consumpsisse, in Historia obseruauero, tamen vos, etsi ne quartam quidem eius temporis partem impendatis, & multo plus terrarum interea emetiamini, & maioribus difficultatibus iter vestrum obsessum esse videatur, maius quippiam effecisse, quod & Gallię & Poloniæ & Europæ vniuersæ prosit. Quo nomine, qui annuli, quæ statuę, quæ potestates & dignitates vobis non debebuntur? Tu Zamosci (nondum enim discedo à libris tuis, quorum suauissima lectio me retinet) in ijs docuisti ex Plinio, ijs tantum, qui Legati ad exteras gentes ituri essent, annulos publicè datos fuisse, quoniam ita exterorum honoratissimi intelligebantur. Sed

vobis domum reuertentibus, quæ poterit Gallia honoris insignia, etiam conferet. Tu ex Cicerone tradidisti, eorum, qui ferro in Legatione essent interfecti, mortem, statua ex S. C. posita, honoratam fuisse. Vobis verò hac Legatione potiusquã vita præclare functis, maiorem statuam multo magis ponendam esse, omnes boni censent: vt & positam fuisse dixi Hermundoro Ephesio, Legatorum Rom. de quibus agimus, Comiti & interpreti. Denique ex Liuio obseruasti, Legatos illos, postea x viros, legum xii Tabularũ latores, creatos esse, vt pro Legatione tam longinqua (sicuti Liuius ait) prȩmio esset honos. At nos vobis pro præmio vestrȩ Legationis dicemus deberi Regis ipsius, quem hinc aufertis, informandi, docendi, instituendi curam: vt in consilio nunquam ab eius latere discedatis.

Venio ad secundum exemplum illustrium Legatorum: dico illam, quam tu laudasti, vt dixi, & quam Plinius vocat nobilem Legationem trium Sapientiæ procerum: dico tres illos Philosophos, quos Athenienses prope trecentis post superiorem Legationem annis Romam miserunt, deprecandæ quidem mulctæ cuiusdam causa, sed cũ accessione grauioris Disputationis de Iusticia & iure. Scio humilem alijs, & prope scholasticam Legationem posse videri. Sed tu Zamosci, & tui ordinis homines literati, & quicunque Philosophiæ honore delectantur, illius memoriam colunt: & ipse (vt scis) ipse Cicero tanti hanc historiam fecit, vt de ea suum Atticum studiosè consuluerit. *Quibus (inquit) Consulibus Carneades & ea Legatio Romam venerit, scriptum est in tuo Annali. Hoc nunc quæro, Quæ causa fuerit? De Oropo, opinor. Et, si ita est, quæ controuersia: præterea qui eo tempore Athenis πολίτικοι præfuere illustres.* Idem in suis Tusculanis, *Adolescentibus (inquit) Lælio & Scipione Stoicum Diogenem & Academicum Carneadem video ad Senatum ab Atheniensibus missos esse Legatos. Qui cùm Reip. nullam vnquam partem attigissent, essetque eorum alter Cyrenæus, alter Babylonius, nunquam profectò Scholis essent excitati, neque ad illud munus electi, nisi in quibusdam principibus, temporibus illis, fuissent studia doctrinæ.*

Tuum esset Zamosci, quod Cicero tuus hic quærit, & prope ignorasse videtur, exponere, qui & tertium Legatum philosophũ nominasti Critolaum Peripateticum. Causam Legationis illius totam tenes, & meministi, Athenienses, qui Romanis tunc parebant, paulò antè subacti ab Aemilio Paulo, talibus deprecatoribus propter literas & doctrinam gratiosis vsos esse, vt remitteretur mulcta quingentorum talentorum, irrogata propter Oropum ciuitatem in Attica direptã: & scis tales Legatos in Senatu auditos Cęcilio interprete, impetrasse, quod volebant: quod non modò Gellius, sed & Pausanias scribit. Sed quid est ea tota in re Zamosci, quòd ad gloriam & amplitudinem vestræ Legationis accedat? Non supprimo quod extra

Senatum maiori de re, quàm de Oropo, disputarũt. Vellem verò, quid tunc Diogenes Stoicus, ex sua porticu, quid Critolaus Peripateticus ex suo Lycæo, Romæ protulerit, dicere possem. Sed non nisi de Carneade Academico narrant veteres scriptores: ociose illum disseruisse vel potius declamasse ad inanem ingenij ostentationem, modò pro iusticia, modò contra iusticiam, idque non Athenis, sed coram Catone Censorio. Si dixero futilia & obtusa & inania fuisse argumenta, quæ retorsit contra iusticiam, vere fortasse dixero: sed ne maiestatem Legationis minuere videar, vereor. Probabilius quidem certe, si quid in foro Rom. reprehendere volebat, accusare potuisset, vel legem Voconiam, quam eo tempore Cato laudabat, suadebat: sed qua nihil iniustius esse dixit noster Augustinus: vel Catonianam Regulam de legatis, quæ, cùm scribuntur, non consistunt: vel denique Catonianam iurisprudentiam nouam de indiuiduis obligationibus. Sed fortasse tam acutus non erat Carneades, & altera fuisset hæc περιεργοπρέσβεια, & an laudanda vel in Legatis sit nimia curiositas in aliena Repub. dubitatur. Tu quidem certe Zamosci, si tibi tantum ocij daret Regalis hęc vestra Legatio, & redire velles ad antiqua studia philosophiæ, & iusticiæ patrocinari, facile refelleres, quod pro iniusticia dixisse Carneadem recitat Lactantius: & hanc contra illum causam non minùs grauiter ageres, quàm Lelius

olim vel Scipio in Ciceronis libris de Repub. Quid dicam quod ex Plutarcho & Plinio didicimus, venisse in Senatum Catonem, & cẽsuisse, Philosophos illos Legatos facessere debere, quos periculose ingenio suo abuti iudicabat. Non dicam Censoria hac seueritate prope violatos posse videri. Iam enim sua Legatione perfuncti exuerant personam Legatorum, vt sumerent Sophistarum. Sed illud dico, si ijs dimissis, ea tamen disputationum earum, quibus Carneades indulsit, memoria Romæ mansit, vt etiam argumentum deinde fuerit nobilissimorum librorum de Repub. multò magis sperare me, vos, cum hinc discedetis, eam relicturos esse in Gallia memoriam vestræ & doctrinæ & virtutis & sapientiæ, vt & magnum vestri desiderium relicturi sitis: & tã cordatam fuisse Legationem vestram omnes boni agnoscant, quàm ille Cato non illepide de quadam alia sui temporis Legatione dixit, Eam nec cor nec caput nec pedes habere.

Tertium exemplũ Legatorum, quod & ex Antiquitate repetere & ad vos referre volebã, est illa, quã per Gentes clarã fuisse dixit Liuius, Legatio Popilij: dico tres Legatos à Romanis eodẽ prope tempore, quo Græci illi Romam venerunt, missos cũ imperio in Ægyptum, C. Popilium Lenatem, C. Decimiũ, & C. Hostilium. Non valde prędico quod obiter Rhodi fecerunt. Tibi enim, cui clementia & lenitas magis placet, minùs fortasse probabitur. Sed

laudare satis non possum, Imperij maiestatem, quo Popilius illius Legationis princeps furentem Antiochum coërcuit, & circulo in arena designato inclusum sic perculit, vt solo verbo coegerit statim Ægypto discedere hunc Tyrannum. Quid? Tam nobilis fuit illa Legatio, vt ipse ipse Daniel multis ante annis eam prędixerit.

Non est, quod hodierno die quicquam simile quęramus in Legatione hac vestra. Sed cùm inter eius principes agnoscam Albertum Lascium, dicam mihi in mentem venire, quod de eius virtute Imperatoria accepimus. Nam vt Popilius ille Legatus Antiochum illum tyrannum imperioso iussu coercuit, sic te illustriss. Lasci, admirabili victoria, Alexandrum Moldauiæ tyrannum totúmque eius exercitum parua manu fudisse, fugasse, ante annos, ni fallor, XII audiuimus. Scito etiam nos legisse, quam, cùm signum pugnę dares & veluti classicum caneres, ad milites tuos habuisti præclaram concionem, professus te iusticię aduersus tyrannidem patrocinium suscepisse, laudánsque exemplum Herculis, qui Diomedem Thracum Regem, quem carnibus & sanguine hospitum equos suos pauisse aiunt, dissectum alijs in pabulum propinasse, proptereáque inter Diuos relatus esse dicitur. Macte noua virtute Lasci, sic itur ad astra.

Sed ne longius discedam à proposito, redeo ad te Zamosci, & laudo quartum exemplum Legationis antiquæ, & (vt Cicero in Lucullo vocat) nobilis: dico eam, quæ paulò plus quàm viginti post superiorem annis suscepta est à tribus, omnium, qui Romæ fuerunt, clarissimis viris, Scipione Africano Aemiliano, L. Mummio Achaico, & L. Cæcilio Metello: qui à Senatu missi sunt ad perlustrandum Aegypti, Syriæ, Asiæ, Græciæ statum. Non temere dixi clarissimos fuisse hos Legatos, quorum duo priores, vt scis, non modò Consulares, sed & Triumphales erant. Alter enim de Carthagine iam triumphauerat, alter de Corintho: cuius etiam euersione sancierat ius violatæ Legationis. Addo verò magnum rursus ornamentum & decus ipsius Comitatus, Panætium Philosophum: quem in hac Legatione Scipionis vnum comitem fuisse ait Cicero. Addunt alij & Polybium Historicum. Hic si ego & te & tuos collegas & totum vestri Comitatus splendorem comparauero, an quisquam me blandiri dicet? Imò verò vt Scipionis illius effigies, quàm & tuus Carolus Sigonius vir doctiss. tam diserte expresit, te delectat, suggeret, quod ille Scipio aliquot ante annis, cùm in Africam venisset missus ad salutandum Regem Masanissam, audiuit, dixit, vidit, & de seipso narrat. Vtinam verò & tu de tuo in Galliam aduentu aliquando idem narrare posis. *Ego* (inquit Scipio de suo Masanissa) *illum de suo Regno, ille me de nostra Rep. percunctatus est: multísque verbis vltrò citróq; habitis ille consumptus est dies.* Quid? Masanissa senex complexus Scipionem adolescentem, quem Regio apparatu exceperat, colla-

chrimauit, & suspiciens in cęlū, *Grates tibi ago* (inquit) *summe Sol, quòd antequam ex hac vita migro, cõspicio in meo regno & his tectis Cornelium Scipionem, cuius nomine ipso recreor.* Quos complexus, quas lachrimas, quas gratiarum actiones, antequam ex Gallia cùm eo pignore, quod auferetis, discedatis, in hoc Regno conspicietis. Adde, quid proxima nocte apud Masanissam in somnio vidit & audiuit Scipio, & vidisse se atque audiuisse narrat in Ciceronis de Rep. libris. Vtinam nunc in Gallia tibi simile aliquod somnium occurreret quiescenti & de Repub. cogitanti. Sed fuimus Franci: fuit ingens Gloria Francorum.

Redeo ad Legationem Scipionis huius in Ægyptum: In ea certè non vidit, vt in Africa, aliquem Masanissam, sed Ptolomæum Physconem, regem prodigiosum: cuius quidem deformitatem dicitur irrisisse: ego, incestum turpiorem castigasset, vellem. Fuit tamen Alexandriæ exceptus Scipio à populo prope adorabundo, vt numen quoddam cælo delapsum. Nam & Scipionis faciem, tanquã cuiusdam Solis, populus ille conspicere optauit, sicuti veteres scriptores narrant. Id verò nunc tibi in mentem veniat Zamosci, cùm multò numerosiorem populum in occursum tuum & tuorum collegarum effundi vides. Vis illam Scipionis Legationem noua obseruatione exaggerem? Vt cùm ille ex Aegypto in Syriam transiret, non potuit nõ & mediam Iudæam peragrasse, & vrbem Hierosolymam salutasse: sic ex synchronismo subtiliori obseruaui, id accidisse eo tempore, quo Simon Maccabæus Dux Iudęorum & Pont. Max. Remp. illam Iudaicam in integrum restituebat: neque Scipionem intercessisse dicam, sed potius conijciã factum eius consilio esse, vt Simon ille missa vicissim Romam nobili Legatione fædus & amicitiam (nam & libri Maccabęorum eius meminere) contraxerit cum Romanis, & S.P.Q. Romani auctoritate erectum sit non modò huius fæderis, sed & vindicatę à Simone libertatis & patriæ publicum testimonium, & quidem in æs sit incisum, vt ijdem libri indicant. Dixi breuiter, Zamosci, quod volebam de quatuor antiquis illustrium Legationum exemplis, quas alij cùm vestra comparent, & ex comparatione rursus euincant vestram esse tamen nobiliorem. Sunt etiam, qui me reuocent ad exempla minùs antiqua, & magis vestra, hoc est, illustrium Legatorum ex Polonia vestra in Pannoniam, & ex Pannonia in Poloniam, & ex vtraque in Galliam missorum, qui, quod nunc agitur, priores aliquando egisse videantur, sed ita vobis pręijsse, vt eos longo interuallo antecedatis.

Annus, vt scis, nunc agitur ducentesimus, si rectè numero, tertius, ex quo tempore, post mortem Casimiri magni, Regis Poloni, venerunt Visigradum in Pannoniam ad Ludouicum non minùs nostrum quàm vestrum amplissimi Legati & Oratores missi ex Comitijs Regni Polonici, Florianus Epi-

ſcopus Cracouienſis,& Ioannes Streleius Cancellarius Regni, vt Ludouicum illum, qui iam antè Rex erat Pannoniæ, ſalutarent etiam Regem Poloniæ, & ad adeundum ſtatim Regnum iampridem illi deſponſum adducerent, reſtitantémque etiam impellerent. Dico autem Ludouicum illum fuiſſe Regiæ ſtirpis Francorum, atque adeo Andegauenſis familiæ & ſanguinis, abnepotem Caroli illius primi Comitis Andium, qui frater fuit noſtri Regis S. Ludouici. Itaque non diſſimilem hodie eſſe cauſam veſtræ Legationis agnoſco. Sed illi duo Legati ex Pannonia, illum Ludouicum: vos XIII Oratores Henricum noſtrum ex Gallia euocatis, nõ modò magnum Ducem Andium, ſed & filium fratrémque Regis Franci.

Non diſcedam longiùs, ſi deinde meminiſſe me dicam duarum Legationum ad quærendos maritos duarum huius Ludouici filiarum, quarum alteri Pannonia, Polonia alteri deferebatur: alteráque propterea Legatio in Galliam miſſa ſit ex Pannonia ad Ludouicum fratrem vnicum Regis Franci Caroli VI, altera ex Polonia ad Iagellonem Lithuaniæ Ducem. Sed Pannonicam fefelliſſe doleo, neque iam illius, ne quid infauſti ominis obijciatur, recordari volo. Polonicam verò, quæ accerſiuit Iagellonem veſtrę noſtræque Heduigis ſponſum, magis laudauero, præſertim, quæ ex pagano Chriſtianum fecerit, nedum ex duce Regem. Sed cùm Legatos modò duos, eóſque minùs illuſtres fuiſſe,

lego Vulodicum Pincernam Cracouienſem & Criſtinum Præfectum Caſimirienſem: quales verò quantique & quot Oratores nunc huc veneritis, cõparo, auguror maius quippiam vel ſponderi vel dari. Neque ſententiam mutauero, vel ſi duobus illis adijciantur octo principes Legati ex veſtro Senatu, poſt mortem Vladiſlai, ad Varnam cæſi, ad eius fratrem & heredem Caſimirum accerſendum, miſsi in extremam vſque Lithuaniam. Nam neq; quod petebant, ſtatim impetrarunt, neque ille vocantes ſtatim eſt ſecutus. Quid dicam de ea Legatione, quâm paucis pòſt annis vicina veſtra Pannonia emiſit in Galliam ad deducendam Ladiſlai Regis ſui ſponſam Margaritam, Regis noſtri Caroli VII filiam? Scio, quàm cum toto ſuo ſplendore infelix & inanis propter repentinam Ladiſlai mortem fuerit. Sed antè triſtiſſimum eius mortis nuncium, quid vidit Gallia lætius, quid ſplendidius, quàm principem eius pronubæ Legationis Vdalricum Pontificem Paſſauienſem cùm octingentis Nobilibus Pannonijs Equitibus, & ex Gynecæo Hungarico quadringentis vel matronis vel Virginibus, quæ curribus auratis inuectæ ſponſam comitarentur? Tantum tamen abeſt, vt in eius pompæ ſplendore quicquam fuerit quod velimus cùm veſtræ Legationis ornamentis comparare, vt etiam luctus repentinus oppreſſerit & diſſiparit luxum, quem dixi.

Felicior & lætior fuit, proximo poſt illius La-

dislai mortem anno, Legatio Hungarica ad Mathiam Coruinum adolescentem salutandum Regem, & ex carcere Boemico ad Solium educendum, principe talis Legationis Ioanne Vitesio Varadiensi antistite. Idémque dixero & de ea, quam hic Mathias iam senex in Galliam misit ad feriendum quoddam sanctius fœdus cum Rege nostro Carolo VIII vixdum pubere? Nam Hungarici Annales testantur fuisse in Comitatu illius Legationis trecentos adolescentes nobiles eadem prope & ætate & proceritate, eadémque tectos veste purpurea, sed & equis, qui eodem essent colore, insidentes. Sed nihil moror inanes pompas in quibus vereor ne nimium sit vanitatis. Non prætereo tamen tertiam illius Varadiensis illustrem Legationem, Pannoniæ nomine susceptam, vt ex vestra Polonia (hæc enim non minùs frequenter alijs nationibus Reges dedit, quàm ab ijs petijt) Rex accerseretur, cùm post mortem Mathiæ Vladislaus Casimiri Poloni Regis filius tanto studio ab Hungaris Rex electus, tanto desiderio expetitus, tantóque splendore adductus est ad adeundum Pannonię Regnum. Sed ne ille quidem Varadiensis, si viueret, & tres illas suas Legationes coniungeret, eas cum vna hac vestra comparauerit.

Quid plura huius generis persequar? Ecce properans præterij Polonicam illam Legationem multò & antiquiorem & magis nouam, quæ ex Gallia quidem, sed ex Cluniacensi monasterio, ante

annos plusquam quingentos regem bonum repetijt, educatione quidem & domicilio prope iam Francum, sed ex Regia tamen stirpe vestri Piasti. Meliori quidem certè iure factiosos illos pręteriero, qui trecentis pòst annis, ex altero Galliæ monasterio Diuiodunensi euocarunt Vladislaum illum monachum eiusdem stirpis, vt post mortem Casimiri Magni, Poloniæ Regnum nullo bono iure adiret, & Ludouicum nostrum, de quo pòst dicam, vi excluderet, si posset.

Possem & ex Andegauensium nostrorum Francicis monumentis repetere Legationum exempla, quibus Andium Duces accersiti sunt ad Regna adeunda, quæ nunquam non delata & oblata fuere fatali quadam felicitate, Andium Principibus. Sic Hierosolymitanam Legationem laudare possem, quæ Fulconem Andium Principem ad illud Palæstinæ Regnum aliquando capessendum, hoc est, ad ducendam filiam & heredem Balduini secundi Regis eduxit: vel si malumus exempla etiamnum similiora, possem predicare Legatos, vel qui Carolum, huius nominis primum Comitem Andegauensem, filium fratrémque Regis Francorũ, & quidem fratrem nostri S. Ludouici, in possessionẽ Regni Siculi & Neapolitani misere, vel qui centum pòst annis, Ludouicũ huius nominis primũ Ducem Andium, & secundæ Familię Andegauensis caput, & Regis Franci fratrem filiumq́;, & quidem fratrem illius nostri Caroli V. qui merito Sapiens dictus est,

Regem Neapolitanum appellauere, & in Italiam cũ exercitu proficiſcentem comitati atque ſecuti ſunt. Sed in illis exemplis nihil eſt, quod debeã & velim comparare cũ huius veſtræ Legationis conditione.

Age verò Zamoſci: etſi meum non ſit reſcire eius myſteria, neque quod vel Regius in maximis veſtris Comitijs Legatus dixit, vt electionem, quã impetrauit, impetraret, vel quod veſtro omnium nomine atque adeo vniuerſi Regni veſtri, reuerendiſs. Antiſtes Adamus Conarſcius Epiſcopus Poſnanienſis, dicturus eſt de renunciatione illius Electionis, vel quod, Franciæ & Regis nomine, reſpondebitur, delibare velim, aut alijs dicturis quicquam præripere aut præcipere: tamen, credo, mihi licebit, ecquid cùm de tali renunciatione audiunt homines literati & optimarum literarum ſtudioſi, ex literis illis, gratulationis cuiuſdam ſuæ & fauſtę acclamationis cauſa, repetant, non ſupprimere. Venit quidem certè illis in mentem, quod Suetonius Tranquillus ſcribit, Senatum Rom. per Valerium Meſsalam, id mandantibus cunctis, Auguſto detuliſse cognomen Patris Patriæ, hac formula: *Quod bonum fauſtúmque ſit tibi domuiq; tuæ Cæſar Auguſte (ſic enim nos perpetuam felicitatem Reipub & læta huic precari exiſtimamus) Senatus te conſentiens cum Pop. Rom. conſalutat Patriæ Parentem.* Tum verò lachrimantem Auguſtum reſpondiſse: *Compos factus votorum meorum P. C. quid habeo aliud Deos immortales precari, quàm vt hunc conſenſum ve-*

ſtrum ad vltimum vitæ finem mihi perferre liceat. Relegunt etiam ecquid Iulius Capitolinus ſcribat, acclamatum vno conſenſu eſſe, cùm Senatus duos optimos Imperatores creaſſet Cælium Balbinum & Maximum Pupienum. Recordantur quod Flauius Vopiſcus narrat, cùm Vettius Cornificinus Conſul ad Senatum retuliſſet de nouo Imperatore creando, & placeret Tacitus, qui aderat, Conſularis primæ ſententiæ, quid acclamatum ſtatim ſit ab vniuerſo Senatu: neque non poſtremam eius acclamationis clauſulam lubenter ingeminant, & ſi qua vſquam Echo ſit, ab ea quoque ingeminari volunt: dico hanc, *Quis melius, quàm literatus, imperat?* Obſeruant, quod idem Vopiſcus ait acclamatum quoque eſſe ab vniuerſo populo, *Feliciſsime Tacite Auguſte Dij te ſeruent*: & reliqua adieciſſe, quæ ſolent dici: neque quænam illa ſint, ignorant. Et ne longius abeam, memoria repetunt, cùm Romæ ineunte anno DCCCI electus & ſalutatus eſſet Imp. Auguſtus, noſter Carolus Magnus, auditam eſſe hanc vocem populi acclamantis, *Carolo Auguſto Magno & Pacifico vita & victoria*: vel ſi quæritur exemplum cùm ſua formula multò recentius & prope Polonicum, ex optimis Annalibus Hungaricis obſeruant quoties illud *Feliciter, Feliciter* acclamatum & ingeminatum ſit per vniuerſam Pannoniam, eiúſque omnes & vrbes & pagos & vicos & agros diebus multis, cùm renuntiatus eſset Mathias Coruinus electus Rex Pannonię: vel etiam

cũ eo mortuo vester Vladislaus, Casimiri Regis vestri filius, ad illud regnum Pannoniæ vocatus est.

Sed si mihi licet priuatas meas quasdam, cũ de Renunciatione Electionis, quam adfertis, audio, cogitationes exponere, dicam, quod eę mihi suggerunt, neque affingam quicquam. Non possum negare, cùm antè annos tres, Panegyricum Pacati, dictum Theodosio magno, & agentem quoque de admirabili eius ad imperium cooptatione, referrẽ ad Principem nostrum, quem Ducem Magnum appellabã, & multa præmonerem de Andiũ antiquis principibus, illud me palam prędicasse & literis consignasse, Quotquot olim Andium Principes fuissent, fuisse quoque deinde Reges, Reges (inquã) ab alijs Gentibus ascitos. Quod cũ dicerem volebã & illud ntelligi, sperari, expectari, quod iam factũ esse admiramur, hoc est, Regnum, si non Polonicũ, at certè aliquod, delatũ iri nouo Duci Andiũ: ne non videretur saltem præsagiũ quoddã inesse meæ illi pręmonitioni. Non enim vel auguriũ vel vaticiniũ dicere volo, qui neque augur sum neque vates. Sed tã bono euentu confirmatum esse, quod in eo genere prædicere videbar, tametsi miror, tamen non possum non gaudere. Valeat cũ suis fatuis Chaldæis tyrannus illi Tiberius, qui Sergio Galbæ multò antè prædixisse d citur, Eum aliquando degustaturum esse Imperium. Valeat Iudæus Iosephus, qui ex vinculis ariolando, ne dicam assentando (tametsi non difficilis tunc esset cõ-

iectura) Vespasiano Imperium veluti despondit. Ego non alias noui Regnorum sortes, quàm Danielis Prophetæ Oraculum docentis Regna dari atque transferri certa Dei prouidentia, & ex ea religiosè vaticinantis de futuris Imperijs. Sed fas mihi fuisse puto, sperare, delatum aliquando iri Diadema Principi illi nostro, quod omnibus antè Principibus Andium delatum fuisse memineram. Nam etsi eo tempore nullum in Europa vacans Regnum occurreret, quod vel probabiliter vel liquidò despondere possem, tamen ne id quidem meam spem infringebat. Non poteram profectò, non audebam, neque in mentem mihi veniebat, animo & spe concipere, atque adeò præcipere, quod iam accidit: neque erat, puto, quisquam, qui tale tantúmque Regnum tam dissitum à finibus Galliæ, tali studio & consensu ignotarum nobis Gentium, tantóque & tam liberali consensu suffragiorum aliquando delatum iri, vlla cogitatione definiret, tametsi fortè interea multi secum reuoluerent de Principe nostro illud Latini Regis de suo Aenea,

—Hunc illum poscere Fata
Et reor, &c, si quid veri mens augurat, opto.

Equidem & sciebam & memineram Gallos Frãcósque olim fuisse etiam veluti Sarmaticos: hoc est, non modò quandam olim fuisse Celtoscythiam, quæ Gallorum in illo Septentrione sedes & colonia fuit: (cuius meminere, Herodotus, Diodorus & in Pompeio Plutarchus): & (quod Liuius scribit) illos

Pannoniam, Thraciam, Illyricum, ſuis colonijs illuſtraſſe: imò quod eſt apud Tacitum, Boïos & Boïemos, gentes eſſe Gallicas: ſed etiam noſtrum Carolum Magnum, Francorum Regem, Nationibus illis Imperaſſe.

Romanum quidem & Conſtantinopolitanum Imperium, quamuis latè patuerit vſque ad noſtri Iuſtiniani tempora, & Trans Danubianas ſuas Prouincias Coloniáſque habuerit (Nam & coloniarum in Dacia Iuris Italici meminit noſter Vlpianus in Pandectis emendatis) atque hac ratione ad fines veſtros limitéſque Regni veſtri, proximè acceſſerit: nunquam tamen in eo Imperaſſe, nunquam ius dixiſſe. Nam etſi poſt bellum Marcomannicum Marcus Antoninus voluerit Sarmaticam facere prouinciam, vt ait Iulius Capitolinus, non fecit tamen. Vbi verò ad Francos tranſlatum fuit Imperium: ſtatim Slauicas (vt vocabantur) prouincias, quæ Sarmaticæ fuerunt, Francis paruiſſe confitebar, quarum prima & maxima fuerit, quæ Polonia deinde dicta ſit. Occurrebat enim rarus ille, ſed bonus & ſatis antiquus teſtis (ſcripſit enim ante annos quadringentos) Helmodius Lubecenſis Hiſtoricus, qui cũ ſcriberet de ſuis Slauis, ſcripſit non modò Poloniam eſſe magnam eorum prouinciam (neque ſcio antiquiorem ſcriptorem, qui Poloniæ verbo vtatur) ſed & Slauorum gentes, Francorum Imperio ſubiectas fuiſſe tempore Caroli Magni. Verum ne id quidem mihi perſuadebat, fore, vt aliquando rurſus viderem vel audirem, quod hodie, audio, video. Sciebam, quod in Germania vidi, & vos in veſtro itinere vidiſtis, vt ad Menum, qui in Rhenum influit, eſſe nobilem vrbem Franco furtum, hoc eſt, traiectum vadumque Francorum in Galliam migrantium, ſic & trans Albim, ad Oderam ſiue Viadrum, qui Germaniam & Poloniam alluit, alterum non minùs nobile & literata quoq; Academia illuſtre nunc eſſe Franco furtum: quod interpretor fuiſſe veterum Francorum ex Germania in Poloniam migrantium quoddam monumentum: vt & apud Nicetam Scriptorem Græcum lego celebrari Francochorion ad Sauum Pannoniæ. Sed ne ea quidem memoria efficere poterit, vt hoc tempore vel cogitare vel ſuſpicari poſsem, rurſus veſtigijs & principatu Francorum hinc illuc migrantium, renouatum iri in illis Regionibus, quod iampridem exoleuerat. Et quis tandem putaſſet, vt Princeps Andicus, fieret etiam Anticus? Anticum dico, vt noſter Iuſtinianus ſeſe inſcribit: dico Antes, quos Iornandes Gothus tempore noſtri Iuſtiniani ſcribebat cum Slauinis ab exortu Viſtulæ in Aquilone conſediſſe, & fortiſſimos omnium, qui ad Pontum Euxinũ curuantur, à Danubio ad Danaſtrum extendi.

Non ſum oblitus, deficiente quoque ſtirpe Caroli Magni, illum Hugonem, quem Capetum vocant, cuius Maiores in illa Saxonia regnauerunt, quę Poloniæ veſtræ vicina eſt, non modò Andiũ Prin-

cipem, sed & ex Andium principe, Regem Franciæ sensim factum esse: ex quo & beata illa stirps Regũ nostrorum manat. Sed Ducem Andium, filiũ fratrémq; Regis Franci, ex illius Hugonis posteritate, annis plusquam sexcentis pòst, eò veluti reuersurũ esse quodam quasi postliminio, ad adeundum illius oræ Regnum quoddam, & ad Sarmatici Septentrionis cũ hoc Occidente Francico coniunctionem tandiu tamq; longo interuallo interruptam, veluti renouandam, taliq; coniunctione maiestatem vtriusq; regni cumulandã, quis sperasset? Ergo vos, Zamosci, spem nostram atque expectationem etiam superastis: & iuuat exclamare quod est apud optimum poëtam,

—*Quod optanti, Diuûm promittere nemo*
Auderet, voluenda dies en attulit vltrò.

Dixi Andium principes omnes olim ad aliquod Regnum ab alijs Gentibus ascitos esse, & quid inde conijcerem sperarémque de nostro, dixi: sed si ineatur comparatio Regni nunc delati, & aliorum olim delatorum: maius quiddam nunc occurret, quod in prioribus illis simile non sit. Præterea Fulconem illum Andegauensem Regulum, eius nominis quartum, qui ad Regnum Hierosolimitanũ: eiúsque filium Godefridum, qui ad Regnum Angliæ, asciti esse videntur: sed vterque non nisi veluti dotalis & vxorius Rex fuit, si Rex fuit. Plus habuerit similitudinis, Caroli primi ex Regia Francorum stirpe, Principis Andium, quem & filium & fratrẽ

Regis Franci dici potuisse dixi, ad vtriusque (vt vocabatur) Siciliæ Regnum adeundum electio & euocatio, quamuis Pontificio potissimum beneficio subnixa: vt & illius quoque liberos ad Regnũ Hungariæ & postremò Poloniæ euasisse meminimus. Neq; non cõsideramus alterã illam familiã Regiæ Francorum stirpis, Principatu Andegauensi potitam, ducta origine à Ludouico filio Regis nostri Ioannis, fratre Caroli v. Sapientis, ad Regni Neapolitani possessionem partim Pontificia auctoritate, partim muliebri arrogatione multis annis enixè contendentem. Sed comparationem non admittimus. Non est ergo nouum, Principem Andium, Regem fieri. Nouum potius esset, si non fieret. Sed nouum tamen & insolens esse videtur, quod nunc accidit: nec tamen est omnino, si Ludouicus ille Poloniæ Rex, cuius antè memini, occurrat. Bene est, Zamosci: Etsi dicatur fuisse quidem olim Principum Andegauensium quoddam fatum (vt ita loquar) Regale, sed simul fuisse tandem funestum & prope Tragicũ: excipiam saltem conditionem Regni Polonici. Fateor, toto me & corpore & animo cohorrescere, cũ recordor, qualis Caroli illius primi Comitis Andegauensis fuerit exitus, quale Regnũ, Siculis etiam (vt vocantur) vesperis, hoc est, funestissima Francorũ strage, & barbara Siculorũ fraude cruentatũ: & multò magis cũ cogito, vt eius liberi, nepotes & pronepotes, in Regno Neapolitano, Tragicis parricidijs absumpti desierint: vel etiam

qualis fuerit exitus Ludouici primi Ducis Andegauensis in eodem Regno, & quales in eo ærũnæ posteritatis ipsius. Sed me consolatur, quam excipere me dixi, conditio Regni Polonici, quod cũ Hungarico sic delatum fuit Ludouico alteri, illius Caroli abnepoti, vt in eo finis non minùs lætus fuerit, quàm felix principium fuerat

Nihil quidem certe est Zamosci, quod hodierno die ex vestris Annalibus magis repetendum esse videatur: nihil quod magis inculcari debeat, quã quod de eius Ludouici stirpe, designatione, electione, inauguratione, virtute, & felicitate dici potest. Nam & Regij in Comitijs vestris Legati oratio, illius Ludouici Manes veluti excitauit, vt talem suffragatorem & deprecatorem haberet: & iam cepit in ore multorum esse hoc exemplum, quod nuper dolebã à multis non modò nostris, sed & vestris hominibus ignorari. Quid enim dicã Stanislaũ Orichonium in vestro Regno doctissimum & eloquentissimum virum, siue obliuione siue preteritione quadam videri Ludouici illius memoriam suppressisse. Nam in sua (vt vocat) Chimera, *Cùm* (inquit) *stirps Miesconi monarchæ in Casimiro Magno defecisset, Vladislaum Iagellonem ex Lithuania acciuimus*. Atqui post Casimirum accitus fuit Ludouicus ille noster, vt scis, eiúsque filiam fuisse scimus Heduigin illam, quæ Iagelloni nupta fuit.

Hic ego Zamosci, collegam in hac Legatione tnum, Ioannem Herburtum Fulstinium virum do-

ctiss. atque clariss. honoris causa appellabo, & historicum egregium laudabo, & in collegio vestræ Legationis, magnum ornamentum esse agnoscam: ex cuius Chronicis Polonicis (quę & Gallia nunc sic colit, vt ex Latinis Francica fecerit) potissimũ didici, quod non vobis, qui scitis, sed alijs, qui ignorant, de illo Ludouico indicare vellem. Ac quidem illud imprimis obseruasse me, non moleste feres, cùm antea Poloni nunquam Regem creassent nisi Polonum, neque vel externum vel pergrinum ea vnquã dignitate auxissent, consuetudinem illam suam tã diuturnam primum eos immutasse (ac feliciter quidem, atque ex re suæ Reipub.) vt Francum Andegauensem, hoc est, illum Ludouicum, singulari quodam & salutari priuilegio veluti arrogarent atque adoptarent. Fuerant antea tam addicti suæ nationi, dum sibi cauent & metuunt à peregrinis, vt cum Tragica morte sublatus esset ferus & perfidiosus tyrannus, & totam eius familiam atque stirpem merito excisam haberent, tamen ita sese & electionem noui Regis in sua Gente cõtinuerunt, vt, Piastũ potius quendam hominem ignobilem, sed virum bonum, prope ab aratro repetere maluerint, quem regendæ Poloniæ præficerent, quàm aliunde alium accersere: vt & olim Senatus Populúsque Rom sepe ab aratro per suos viatores dicitur accersiuisse optimos Imperatores, Dictatores, Consules: nisi si potius cùm illius vestri Piasti conditione comparemus quod Diodorus narrat de Ballonymo Rege

Tyrio. Sed & cũ ex posteris illius Piasti Miecislaus Rex Poloniæ, paulò postquam Polonia euecta esset ad fastigium Regiæ dignitatis, factus esset tam intolerabilis tyrannus, ab impotenti vxore deprauatus, vt cum tota sua familia profligatus à populo suo fuerit: successisset verò non minùs malum, ἀναρχία, cuius tędio & miseria excitatum fuit desiderium legendi noui alicuius Regis: potiusquam tamen alicui vel peregrino vel etiam non Piastico sese daret Polonia, placuit, Casimirum, Miecislai illius filiũ, in monasterio Cluniacensi in Francia inclusum atque educatum accersere, & ex secessu illo monastico ad solium paternum reuocare. Adeo Polonia sese addixerat vni illi stirpi Piasticæ. Sed tantò magis Zamosci, agnoscimus & admiramur, eam post Casimirum à suis Polonis reiectam esse, vt substitueretur Franca Andegauensis, quæ & iam regnabat in Pannonia. Quid dico post Casimirum? Paulò post quã Poloniæ principatus in Vladislao Loctico instauratus pristinam dignitatem Regiam recuperasset, eius defendendæ & vindicandæ causa, viuo & volente Casimiro, illius Vladislai filio, asciti sunt nostri illi Franci Andegauenses. (Non narro tibi Zamosci, vel tuis, à quibus hęc accepimus: narro alijs, narro nostris, huius alioqui historiæ fortè oblitis.) Nam cũ Vladislaus ille post varios casus, post tot discrimina rerum, pacatam regni sui Polonici possessionem adeptus esset, dicitur, paulo post annum Christi MCCCXX, quo Cracouiæ solenni ritu

coronatus fuerat, generum sibi asciuisse Carolorobertum, (quem Hungarum vocant, ego Francũ Andegauensem voco) cui filiam suam elocauit, & quem Casimiro filio suo substitui atque succedere voluit. Et verò iam antè expertus erat, quantum & opis & auxilij abs tali socio & fęderato repetijsset ad suę Poloniæ defensionem, præsertim aduersus Boëmos & Prutenos: vt & deinde Casimirus mortuo patre sensit magis atque magis, qualem in illo & ipse fratrem affinem, & Polonia vindicem atque defensorem haberet: quò minùs miremur, ex Casimiri voluntate in Comitijs designatum esse Regẽ Polonię. Habebat Casimirus filiam nubilem, & ea ipse etiamnum erat ætate, annorum nempe XXX. (nã admodũ adolescens vxorem duxerat) vt plures filios suscipere posset: neque ignorabat, cuius periculi esse soleat, designari viuentis heredem alium. Sed nihil potuit aut infringere aut retardare, & Casimiri illius votum, & Poloniæ desiderium: denique videbatur personare Oraculum, quale Rex Latinus audit apud Poëtam,

Externi veniunt generi, qui sanguine nostum
Nomen in astra ferant.—

Nolo mihi fides adhibeatur, si quo studio CaroloRobertus ille & eius filius Ludouicus, designati & substituti sint, & quales iudicio consentientis Polonię competitores etiam Polonos & Casimirianos vicerint, meis verbis dixero. Sed cùm, quicquid illud est, perscriptum diligenter sit & in Hunga-

ricis Bonfinij, & in Polonicis Cromeri vestri Historijs, quid est, Zamosci, quod ignoremus, Maiorum vestrorum erga nostros illos admirabilem propensionem. Quid mortuo Caroloroberto ante Casimirum? Ne quis putet iure quodam quasi caducario euanuisse Ludouici substitutioné: ecce, reuersum ex Italia victorem rursus à Polonis expetitum esse dico, non modo nulla inuidia, sed maiori potius studio Casimiri, talem sibi etiam in Regno non modò successorem designari, sed & collegam dari optantis. Quid dicam, cùm viginti deinde annis superstes Casimirus vixerit, nihil tamen interea vel imminutum vel immutatum esse de eius & Polonię totius studio erga Ludouicum? Quid mortuo tandem Casimiro? Ludouicus, vt minimè erat ambitiosus, dicitur liberam Polonis reliquisse electionem noui Regis: sed quamuis competitores rursus magni & gratiosi & ambitiosi intercederent, nullus tamen Ludouico nostro prælatus fuit, absenti licet, & fugienti potius quàm ambienti: sed neque obstitit, quæ illi obijciebatur, ignorantia linguæ Polonicæ. Quid multis? Cùm cogito, quàm ipsi etiam Oratores & Legati Poloniæ laborarint, vt restitantem impellerent ad adeundum Regnum, tot iam annis, toties, tam constanter oblatum atque delatum, venit in mentem quod de Theodosio canit Claudianus.

Digna legi Virtus: vltrò se purpura supplex
Obtulit, & solus meruit, regnare rogatus.

Non temere est, Zamosci, quod tam multa de Polonorum vestrorum erga Ludouicum illum studio repetimus. Nam & hodie interest imprimis id meminisse: & qualem co nparationem indicare velim, non ignoras. Volo etiam addere, quod non modò ex historia, sed & multò magis ex veteri inscriptione Sepulcri in Gallico monasterio Diuiodunensi, cuius antè memini, obseruaui de quodam Vladislao Regij sanguinis Polono, quem Casimiri propius Sobrino (vt Iuris nostri verbo vtar) fuisse probare possem. Hic vero quamuis auctoritate quoque Pontifica, & dispensatione, quam vocant (nam etsi Cromerus illam defuisse significet, adfuisse tamen probat illa inscriptio) subnixus, & potenti factione armatus esset, & obtenderet exemplum illius Casimiri, qui ex Monacho quoque factus olim erat Rex Poloniæ: tamen non potuit aduersus Ludouicum impetrare, quod tam impotenter affectabat: sed qui fuit erga Ludouicum perpetuus fauor Polonorum, reiecit talem riualem. Quod & te obseruaturum esse non dubito, si quando Diuiodunum nobilem Francicę Burgundiæ vrbem, non multum dissitam ab itinere vestro forte inuisas, & insciptionem, quam indicaui, legas, quę incisa in marmoreum sepulcrum etiamnum illic in Epitaphio legitur.

Dixi quo studio Polonia Ludouicum nostrum elegerit. Sed addo, neque hunc fefellisse spem & expectationem eligentium, neque Poloniam vn-

quam pœnituisse suæ Electionis. Imò verò hæc illius memoriæ sacrosanctæ tantum detulit, vt (quod nunquam antea Poloni fecerant, neque vnquam postea fecere, qui mulieribus Regnum nunquam detulerunt) Heduigin Ludouici filiam, Reginam elegerit, priusquam etiam nupta illa fuisset. Quid? Qualis Rex fuerit Ludouicus, & quale sui desiderium mortuus reliquerit, estimetur ex luctu totius Regni. Non mea sunt, sed Hungaricæ historiæ verba, annos tres vniuersam Hungariam (quod & de Polonia dixero) mortuo Ludouico pullam vestem induisse, totidémque annis luctum regionatim celebrasse. Nusquam risum, iocum, sonum, nusquam vllum interea festiuitatis genus fuisse. Iusticium triennio esse indictum: & interea pueros omnes, tanquam patre orbatos, incessisse gemebundos. Non audeo reliqua addere: quia & quæ iam recitaui, tam magna sunt, vt incredibilia prope videantur. Quid multis? prope dixero, mortuo Ludouico parentes omnes filijs suis indixisse, quod olim Romæ vnus Metellus Macedonicus, cũ Scipio Africanus publico funere efferretur, filijs suis, quos quatuor habuit clarissimos, imperauit, *Ite filij, & funebri Scipionis lecto humeros subijcite: nunquam enim funus maioris ciuis videbitis.*

Quarsum hæc? vt cũ audiamus vos in Henrico nostro alterum nunc Ludouicum requirere, audiát alij, quid tale exemplum sibi velit, quid spondeat. Dicent alij alias causas eius Electionis, cuius renunciatio quædam est vestra Legatio: ego, qui audio in Comitijs vestris laudatum & propositum fuisse Ludouicum illum, cùm de Henrico nostro eligendo ageretur, dico huius siue lectionis, siue electionis causam magnam fuisse, spem quandam & desiderium recuperandi in Henrico, quod in Ludouico Rege Polonia amisit ante annos ducentos. Tu Zamosci qui & veteres Leges Rom. de legendo Senatu eiúsque conditionibus tam eleganter descripsisti, non nescis plura etiam obseruari in legendo Rege Polonico, quàm in Senatore Romano. Sed vt nihil vos neglexisse credo, sic nihil volo de vestra cautione dicere, aut, quæ ignoro, de Comitijs vestris affirmare. Nam & quod ait poeta, ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura. Sed interea dum vos, dum alij, quibus mandatum est, operam vt dent ne quid Resp. capiat detrimenti, faciunt officium suum, ego vota concipiam, vt non modò spes vestra & expectatio non fallatur fallátue, sed vt cumulatè etiam superetur. Et quia memini, quod scribit Lampridius Constantinum solitum esse dicere, Imperium fato dari: Eum verò, cui id datum fuerit, præstare debere & efficere, vt Imperio dignus fuisse videatur: acclamare audebo nouo Regi, *Spartam nactus es: hanc orna*. si veniendum sit ad eam conclusionem, quæ veluti illi valedicat ad vos abituro: sed quam, si nunc quodammodo refugiam, velim mihi ignoscas. Nam si qua pars huius orationis mihi difficilis fuit, hæc verò postrema multò est difficili-

ma, in qua confligunt affectus prope contrarij, & ex eodem tamen fonte manantes. Vellem quidem certè præiret aliqua vetus formula, qua vterer potius, quàm vllam nouam concipiam. Illud modo dicam, meminisse me, Quis fuerit Franciæ sensus, quis sermo, ante annos CCCLX. cum suum Ludouicum, filium vnicum Regis sui Philippi Augusti vix dimitteret, viuo patre traijcientem in Angliam, ad capessendum Regnum, quod Angli Francis deferebant, reiecto etiam suo Rege Ioanne: nec obliti sumus quid ante annos CXC rursus dictum & cogitatum sit, cum valedicendum esset alteri Ludouico, etiamnum orbi Regis Caroli VI fratri vnico in Hungariam abituro ad adeundum regnum dotale: vel si ad nostros Andes redeundum sit, non ignoramus quid ante annos prope CCCX. cùm Carolus primus Andium Comes, frater Regis S. Ludouici, Massilia, cũ magna classe solueret, ad Regni Siculi, quod Nothus quidam occupauerat, possessionem adipiscendam: denique quid ante annos ducentos, cum Ludouicus primus Dux Andium, Regis Franciæ filius, frater & patruus, ex Francia cũ exercitu magno discederet ad euincendum Regnũ Neapolitanum, quod illi delatum erat. Videmus quidem certe, quid nunc dissimile sit: sed vt res est solliciti plena timoris amor, ignoscendum est bonis affectibus, siue gaudio propter honorem & dignitatem Principis, siue dolori, propter absentiam, siue lachrimis ex vtraque causa manantibus perfusi

sint: Deuotissimi quidem certe amoris fuisse Suetonius scribit, quod Populus Rom. non solum faustis ominibus, sed etiam modulatis carminibus prosecutus sit Augustum in prouinciam abeuntem: vos verò prædicere melius potestis, ecquò cum noster ad vos, à vobis hinc auulsus accedet, & complexu & applausu & gaudio Polonia tota excipiet aduenientem. An verò, etsi patrem patriæ vobis sponsoribus venire agnoscet, non complecteretur etiam tanquam filium? (nam & patria parens est, vel si sit ex arrogatione) An non simul exclamabit, quod est apud optimum poetam, cuius verbis lubenter vtor,

Venisti tandem tuaq; expectata parenti
Vicit iter durum pietas: datur ora tueri
Nate tua.
Quàm metui, ne quid Lybiæ tibi regna nocerent.

Denique cũ vobis gratias aget, nonne agnoscet, & profitebitur, quod hic omnes agnoscimus & profitemur vestræ Legationi magnam quandam inesse vim energiámque, vt ita loquar, ἑλκυστικὴν, (potiusquam dicam illecebram) quæ hinc elicit & extrahit, quod videmus: quæque possit ab hoc Regno, tanquam corpore, & visceribus ipsis, matrisque sinu reuellere, quod reuellit, & hinc euulsum transferre in ipsam vsque Sarmatiam: tametsi futurum alterius Regni, tanquam corporis, caput? Quid hic dicam? Nihil vel peregrinum vel longe petitum dicere volo. Memini, quod & vestri sciunt, vix vllas vnquã fuisse vehementiores Legationes, quàm ante

annos cxx. fuerint Oratorum Auſtriæ, Boemiæ, Hungariæ, certatim repetentium & maxima contentione repoſcentium Principem ſuum Ladiſlaum poſtumum, quem poſt mortem Vladiſlai Poloni, Hungariæ rectoris & regis, totos iam annos xii. Imp. Fridericus patruus retinebat, & veluti inuidebat populo repoſcenti. Sed quid impetrarunt? Nō dicam, eluſit, ſed earum gentium profectò ardorem reſtinxit & deſideria repreſſit atque remollijt aduerſaria ſiue Legatio ſiue oratio Æneæ Syluij, quamuis Itali, quem Imp. Fridericus miſit ad Comitia, quæ in Boemia Bunſtaniç habebantur, vt Ladiſlaum ſuum extorquerent. Syluius enim quamuis non niſi Procopio ſuo collega interprete auditus ſit, cū verba daret, effecit in Comitijs illis, & impetrauit, vt bona earum Gentium gratia, Imp. Fridericus etiamnum retinere poſſet aliquo tempore Ladiſlaū illum, atque in Italiam abducere.

Quantò igitur eſſe dicetur veſtræ Legationis maior vis, auctoritas, gratia, eloquentia, denique πειθὼ admirabilior, quæ impetrabit & euincet, vt nihil vel remorari poſſit, quod hinc abducere vultis? Nunquam, ſcio, tam id citò fiet, quàm deſiderium veſtrum petit: & omnem moram vobis moleſtam eſſe ſcio. Nam & omnis feſtinatio, amanti mora eſſe dicitur. Sed Regium tamen Senatū nihil vel prius vel magis agere vides, vt iam quod olim de Senatu Rom. eruditè diſputaſti, & ex tuo Cicerone repetijſti, nobis occurrat, Senatū haberi ante Kalend. Feb.

per Legem Pupiam non potuiſſe: neque menſe Februario toto niſi perfectis Legationibus. Lege autem Gabinia ſanctum eſſe, etiam vſque ad Kalend. Mart. Legatis Senatum quotidie dari. Sed de veſtra contentione quid dicam? An quod hiſce diebus audiebam veſtrum illuſtriſs. Albertum Laſcium, lepidè profectò & ſcitè & ſuauiter dicere in familiari colloquio de veteris Argonautarum Heroum Legationis cōparatione? Sed illi à Colchide, altero Pōti Euxini extremo littore Vellus aureum auellere atque auehere voluere. Vos Regnum non aufertis, ſed offertis, quod & ad alterum Ponti illius littus pertingat, & tam beatum ſit, vt Polonia tota futura eſſe dicatur Regi nouo quædam Olbia: ſicuti ad oſtia Boryſthenis in Pontum illum influentis, ad extremos Regni veſtri fines, Strabo olim Olbiam vocauit, quam nos putamus fuiſſe Miletopolim. Quid de re parum mihi comperta loquar? Veſtra Zamoſci (non enim alterius cuiuſquam Oratio rectius id fecerit) veſtra Legatio Oratioque, cū Renunciatione Electionis, eiúſque (vt vocatur) Decreto, trecentis (vt audio) ſigillis confirmato, quod adfert, melius exponet, quale quantumq́ue nunc Regnum offerat deferátue: minùs vt iam miremur, eam impetrare quod impetrat. Ego ineptus fuero, ſi quid addere velim: ſed tamen cùm de eius Regni dignitate agitur (vt nihil nunc magis eſt in ore hominū) & aliquid ex hiſtoria obijcitur, quod eam imminuere videatur, muti eſſe non debent homines e-

ius studiosi, tametsi non nisi ἱστορικῶς de rebus vestris loquamur. Ecce, vt & me vnum ex ijs esse scias, qui earum gloriæ iniuriam fieri vix patiantur, narrabo, ecquid nuper respõderim (vos, an rectè respõderim, iudicabitis) cùm quidam obijcerent, quod Helmodius Lubecensis (huius enim historia Slauica, quæ antea tenebricosa & obscura erat, nunc passim legitur) scripsit de Polonia, Slauorum (vt ait) prouincia. *Quondam* (inquit) *habuit Regem: nunc à Ducibus gubernatur. Seruit & ipsa, sicut Boemia, sub tributo, Imperatoriæ Maiestati.* Ne hoc testimonium minueret Maiestatem Reip. vestræ, respondi ijs verbis describi Poloniam eiúsque conditionem, qualis erat, illius Scriptoris tempore, circa annum MCLX. cùm iam octoginta antè annis Polonia Regiam dignitatem amiserat, suo iure spoliata iudicio Pontificis Rom. odio tyranni Boleslai secundi, quem Ferum vocant. Sed addebam, circa annum MCCXCV. Regiam suam dignitatem, recuperasse, eámque etiam maiorem, & maiori potestate libertatéque cumulatam, ne Imperio Germanico amplius aut subesset aut quicquam penderet: denique optimo iure esset, optima conditione, qua regnum Franciæ esse dicitur. Primam verò Regni Polonici constitutionem cũ religionis Christianæ institutione & accessione coniunctam, circa annum Christi millesimum (quo tempore etiam cepit stirps eorum Regum, qui in Francia imperant) cepisse quidem ex auctoritate Imp. Othonis

tertij: sed iam tum Regnum hoc nouum sic fuisse propagatum, vt non minùs longè latéque patuerit, quàm Franciæ Regnum eius temporis. Non enim repudiare possum testimonium Slauislai Orichonij vestri, qui in sua aduersus Mantuanum illum declamatione, Boleslaus (inquit) primus Rex noster à Roxolanis lacessitus bello, Regnum suum ad Boristhenem promouit. Idem postea multis detrimentis à Germanis affectus, Albi flumine Poloniam terminauit. Deinde Prussiæ atque Liuoniæ latrociniis coactus, Athlantico mari Regnum suũ definiuit: neq; Pannonia pacata priùs illi fuit, quàm Curpati montis illas insanas moles irruentibus Hũgariis obiecisset.

Intersunt ab eo tempore, vsque ad hanc ætatem anni (vt existimo) plusquam quingenti. Interea verò Regnum hoc vestrum, auctum potiusquam imminutum esse, & magna accessione prope duplicatum fuisse videri, ne aduersarij quidem negauerint: multo quidem certè nunc maius esse, quàm cùm deferretur Ludouico nostro. Omitto quæ de Regni vestri alia antiquitate & gloria alij prædicant. Non enim huius vel loci vel temporis ea sunt. Sed ab aliis tamen vestrarum Antiquitatum studiosis talia predicari facile patior: neque modo de vestris Slauis, sed & de Sarmatis: imo & de Scythis & Getis, multa iactari honoris causa. Et quis non lubenter audiat laudari vel Anacharsin, Solonis familiarem, Regísque Scythici fratrem? vel Zamol-

xin Pythagoræ contubernalem, Regísque Getici Assessorem? Quis tam fastidiosus sit, qui contemnat, quod Strabo scribit, Zamolxin olim fuisse, qualis apud Bærebystam regem erat Deceneus: sempérque apud Getarum reges aliquem fuisse consiliarium, qualis apud Berebystam erat Deceneus tempore Strabonis: & qualem te Zamosci apud Henricum regem fore credimus. Sint sanè illæ veluti imagines sapientum virorum, quos in vestra Legatione videmus, ad regni gubernationem comparatorum: sint exempla abs prima antiquitate Maiorum vestrorum repetita, quæ Regibus nunc quoque vestris commendentur. Sed non est huius loci, talia persequi pluribus verbis: multóque minùs alia Scythicarum Antiquitatum præclara monumenta: tametsi symbolica magis fortasse sint, quàm fabulosa, & nunc quoque Regibus oportunè incultarentur: qualia sunt, quæ narrant de primi Scytharum Regis tribus filijs Lippoxaï, Harpoxaï, & Colpoxaï: quorũ minimus natu, quia magis esset moderatus, prælatus sit duobus suis fratribus, quorum prior nimium præceps, alter nimium tardus erat: & quod his flamma prohibitis negatum est, potuerit manu tangere aurea hæc insignia cælo demissa, Aratrum, Iugum, Securim, phyalam. Audio hæc Regnorum symbola arcana, & mysteria vestris Aborignibus ascripta, prolixè exponi à nostro Goropio Belga: cumque supra alios, rara quædam eius generis, quæ ad ve-

stras Antiquitates pertinent, scite & erudite collegisse: sed quæ nunc à me inculcari nihil attinet, nõ magis quã quæ cohonestandi vestri Vistulæ causa, qui in sinum Venedicum maris Baltici effunditur, contendit eum esse Eridanum, à Veteribus Electri nomine laudatum, quem Virgilius fluuiorum Regem dixerit, non eum, qui in sinum Adriaticum Venetæ Reip. influit: & veteres scriptores rerum Sarmaticarum minùs peritos, ea in re erroris coarguit. Sed faciat hoc licet bono & liberali erga gentem vestram animo, tamen nimis ociosus videbor, si vt laudem, vnde vestra Curulis Legatio venit cũ suo Munere, eò excurram, & vos etiamnum de via longa fessos, tali veluti poetica oblectatione fatigem.

Verum etsi nolim ociosè immorari in Regni vestri, quod Legationis vestræ munus esse dicimus, antiquis laudibus: tamen ingratus fuero & inofficiosus, si non addidero, maximæ laudis causa, Regnum à vobis deferri & literatum & literatis hominibus refertum: quod ne ipsa quidem Barbaries nunc Barbarum dicere ausit. Laudent in eo alij Equitum nobilitatem, multitudinem, fortitudinem, qua armatum esse dicitur. Meum est, anteferre studia doctrinę, & doctorum virorum, quibus abundat, ingenia meritáque. Quid enim? ipsa Italia, voce & confessione sui tuique Caroli Sigonij testata est, sese Poloniæ in eo curriculo laudis cedere. Meministi enim Zamosci, quid ille in epistola ad vestrum Marianum Lezentium publicè consi-

gnauit, prolixè confessus, humanitatis & literarum studia, quæ propria quondam Italię fuerunt, finibus Italicis emissa ad Polonos se, quasi in colonias, contulisse: & cùm alia cum multis communicare, ingeniorum verò & literarum laudem sibi solis Polonos vindicare. Sed Italia de se viderit. Galliam modò, cuius studia iam aliquot annis remissa languent, & sepulta prope opprimuntur, dicam, nouo hoc vestro exemplo rursus excitari ad pristinam laudem & decus & contentionem liberalis doctrinæ. Quid dicam, cùm vestra Legatio viros ostendat militari virtute præstantes, totoque etiam vultu Martem spirantes, eam tamen magis literatam esse quàm Martialem, magísque rei literariæ quàm militaris vel curam gerere, vel causam agere? Etsi forte fremant & ringantur, si qui vos barbari circunstent spectatores eius actionis, tamen scitote vel ipsos parietes Curiæ, in qua id agendo curandoque stabitis aut sedebitis, vobis applaudere, letitia subsultantes, vt tandem excludant nouam barbariem, quę ijs insultat: neque vlla olim Romæ fuit, vt appellabatur, Græcostosis, quæ Legatorum Statio fuit: quæ ausit sese comparare cùm ea, quam Gallia deinceps vestræ Legationis memor retinebit & colet, Polonostasi? Laudent ergo alij alias vestras actiones. Ego quam dico, imprimis laudauero: neque magis quicquam optauero, quàm vt rursus efficiat, quod de suo Ioanne Sidonius Apollinaris noster ante annos M C. scripsit. Scripsit eum

literas in Gallia sepultas suscitasse, vt solum esset deinceps Nobilitatis indicium, literas nosse.

Sed an hoc rursus fieri posse speras hac tempestate Ioannes Zamosci? Ego optare possum: sperare non possum. Et quorsum nunc apud te literarum patronum & vindicem summum, earum causam agam? defensionem suscipiam? laudes commemorem? quid etiam querimoniam exaggerem malę tractationis, qua illæ in multis Regnis, in quorum Solio, cum eruditis Legibus, quarum perpolitas Tabulas circunferunt, sedere deberent, indigna iniustaque barbarie opprimuntur, affliguntur, proculcantur: suis honoribus debitísque premijs spoliantur, & prope ad ludibrium ignominiosè prostituuntur? Quid nihilominus repetam, quam illæ suggerunt, & antea indicaui, sed satis inculcare non possum, veterem in Imp. Taciti electione acclamationem, *Quis melius, quàm literatus, Imperat?* Quid Platonis vulgatam iam satis, sed nondum intellectam satis sententiam, Beatas fore Respublicas, cùm aut Philosophi regnabunt, aut Reges Philosophabuntur? Quid (ne discedam ab Andegauensium Francorum historia) in vno Roberto, ab ijs prognato, Rege Neapolitano, quem doctiss. Franciscus Petrarcha Regem Regum testatur dictum esse propter studia literarum, quas etiam Diademati suo se anteferre profitebatur, ostendam, quid nostri Reges pręstare debeant? Quid Renatum nostrum eiusdem

gentis Regem, ostendam inscitia historiæ amisisse Regnum & Neapolim, quam eius aduersarius Alphonsus Rex literatus, præsidio & memoria literarũ euicítne: miremur eum suis militaribus Signis Librum appinxisse: quamuis non omnes forte intelligant, ecquem potissimum librum indicaret.

Vt ad vos reuertar Zamosci: dico vestram Legationẽ, literis iacentibus & prope deploratis animũ reddidisse, & veluti Signũ bonæ spei altè in Gallia sustulisse, cũ de studijs literarum magis atq; magis excitandis etiam cũ eo Rege, quem petit agit, à quo & restitutionem & amplificationem Academiæ Cracouiensis stipulatur, & hãc statuit non postremam esse Regni gloriam, decus, & præsidium. Audiuimus non modo ex hac Lutetia Parisiorum ante annos CLXX. doctores literarum ad illam Academiam vestram instituendam repetitos esse, sed & quid ad eam Scholã erigendam contulerit cura & liberalitas ipsius quoq; Heduigis Reginę vestræ, filiæ Ludouici nostri: quo magis & hæc (tanti Dux fęmina facti) viris exprobatura merito sit, quod audire debent, si tali exemplo non excitentur. Sed si Legatio vestra, quod suscepit, vrgeat, nulla est huius temporis barbaries tanta, quæ rebus pręclaris obstare possit: & in hoc quoq; Regno atque adeo in ea ipsa Curia, in qua hoc agitis & curatis, & inter eos proceres, cum quibus id agitis: occurrent literatum patroni & vindices, qui vobiscum conspirent, Ecce enim, ipse (quem iterum honoris causa nominabo)

Huraldus Cheuernius, Regis, quo de quęritur, Cancellarius, qui & ex eius sententia & auctoritate superioribus annis mihi mandauit curam & restitutionem Academiæ Andegauẽsis, in qua melioris Iurisprudẽtiæ vox personaret, vobis adest: adest & occurrit Henricus Memmius, Regis Nauarri Cancellarius doctissimus, & doctorum studiosorúmque hominum Mecœnas magnus: occurrit & qui ad vos in hanc vrbem honoris causa introducẽdos cum Principibus præmissus est, Paulus Foxius, non minus & ipse literatus quàm nobilis literarũ cultor, quarum dignitatem apud alias quoque gentes suis Legationibus auxit. Adest & Faber Pibracius, Regius in Senatu Aduocatus, Iurisconsultus tersus & disertus, qui vos comitabitur, & Regem ad vos abiturum sequetur: denique adest, qui hanc ipsam literarũ caussam in vestris Comitiis egit, & cum Regni, quo de agitur, causa primus coniunxit, & quod magno animo cœpit, maximo vobiscũ persequitur, Monlucius Valẽtinus. Et dubitamus adhuc, quid literæ sperare debeant? quid Legatio vestra in hoc genere efficiet? quid vestra Academia Cracouiensis impetrabit, vt etiã superet veterem (nam de miseris huius tẽporis Scholis nihil nunc dico) Massiliã, Athenas, Berytũ? Crede mihi minimè vano, Zamosci, statim atque supra hospitij in hac vrbe tui fores cum tuis insignibus trium hastarum, nomen tuum subscriptum legerunt homines dediti studiis doctrinæ: cùm interpretati sunt illas esse hastas Palladis potius quàm

Martis,tùm verò nescio qua repētè spe bona recreati respirarunt.Nihil morati sunt illud inscriptioni nominis tui additum, *Capitaneo Belsensi generali*,&c.sed statim atque legerunt istud, *Ioanni Sario Zamoscio:* quid sperare, quid expectare ab hac Legatione deberent,senserunt.

Dixi, qualis hæc Legatio sit,quæ defert Regnum magnum, antiquum, literatum. Etsi verò alias eius Regni dotes non addam, tamen nec debeo nec possum prætermittere, quod prius dicere debui, Regnum pacatum deferri, quod vel togatus Princeps adire queat: neque domi modò pacatum, sed etiam foris. Nam & ipse Moschus, perpetuus alioqui & acer hostis,ex quo tempore audiuit hinc Regem à vobis peti,agere de induciis vel fœdere dicitur.

Fuerunt quidem,vt antè dixi,semper olim oblata Regna Andiũ Principibus: sed cogor fateri fuisse controuersa, litigiosa, turbulenta, & quæ cum magno exercitu adeunda & armis euincenda essent, & ab hostibus,qui eiiciendi atque expellēdi erant, iam occupata. Quid enim aliud dicam, siue Regnũ Angliæ,siue Siciliæ,siue Neapoleos,siue Tarraconis, siue Pannoniæ,considerem,quale erat,cùm illis oblatum est,& qua conditione nostris deferretur.

Habet itaque hoc veluti singulare &(vt verbo Iuris nostri vtar) præcipuum (quod quidem certè vt rarum est,sic est maximum) quod vestra Legatio defert, vt parata non minus quàm pacata possessio sit, sine lite,sine armis,sine vllo bello:denique (vt est in

prouerbio)sine sudore & sanguine.Neque verò dissimulamus, nos etiam legisse vestrorum Commentarios, qui de Rep. emendanda inscribuntur: ex iisque iampridem intellexisse, quædam Regni vestri esse vlcera, quæ curanda sint, & magnam difficultatum molem subiturum eum esse, qui hanc curationem suscipiet.Sed nihil tamen est,quod Regium animum vestro consilio confirmatum deterreat. Scimus & de quibusdam legibus illic inter Equites & ciues (vt vocantur) magnas esse quæstiones: neque ignoramus maiores esse de Religione dissensiones, neque modò nuper natas, quæ totam Europam peruagantur & concutiunt,sed & alias multò antiquiores, quales & inter Græcos & Latinos multis iam seculis fuerunt. Sed tantò magis admiramur Genium (vt ita dicam) vestri Regni, in quo tale (vt vulgò vocatur) schisma nullas dat turbas,neque Reip.corpus & cõcordiam distrahit. Equidem cùm aliquando legerem,Ruthenos, vt nunc dicuntur, qui olim Roxolani dicebantur,accepisse doctores Religionis à Constantinopolitano Patriarcha: & in Russicis Chronicis annotatum esse, id esse factũ anno 6497. (vt illi quidem numerant) incidere autem hoc tempus in annum Christi DCCCCLXXX. paucis pòst annis quàm à Romano Pontifice Poloni in Religione primùm instituti fuēre: & meminissem, quale iam tum schisma,quale dissidium exarsisset inter Romanam & Constantinopolitanam Ecclesiam: dubitabam, num populi ita dissidentes coalescere possent

ſub vno Rege. Sed cùm deinde legi, Ruſſiam tãdem à Caſimiro Magno, Poloniæ Rege (cui etiam tunc aderãt noſtri illi Carolo-Robertus & eius filius Ludouicus, paulò antè deſignati heredes Poloniæ) in prouinciæ formam redactam eſſe, ea lege, vt illa in Religionis cauſa nihil mutaret: eámque cum illa ſua αὐτονομίᾳ pacatam, cum reliqua Polonia bene coaluiſſe: intellexi, in veſtro Regno facilè fieri, quod alibi vix putaretur fieri poſſe. Difficilior quidem eſt diſſenſio altera, quæ ſuperioribus annis exarſit: & aliorum Regnorum exempla faciunt, vt magis intelligamus, ecquò illa erumpere ſoleat. Sed feliciorem eſſe Regni veſtri conditionem in hoc genere audimus: vt & in ipſo (loquor, vt cœpi) collegio veſtræ Legationis agnoſcimus admirabile exemplum concordiæ & coniunctionis ciuilis, quam non diuellat diſſenſio aliqua de religione: & in illa ipſa electione, cuius internũcij eſtis, in veſtris Comitiis, talem conſpirationem aliæ gentes admirantur. Ergo Regnum in eo ſtatu, in quo alioqui putarentur turbulentæ tempeſtates exiſtere, tamen pacatum & ſedatum, & domi foríſque quietum, cum illa ſua libertate, quæ intra ſuos ſe fines continet, ſuorúmque interea omnium Ordinum concordia ſumma, defert Legatio hæc veſtra: & vt eſt conflata atque temperata ex omnium Ordinum viris ſapientiſſimis, tanquam concentus quidam collectus ex diſtinctis ſonis, & diſſimilium alioqui vocum moderatione (agnoſcis Zamoſci de Rep. temperanda ſic locutum eſſe Scipio-

nem in libris tui Ciceronis) dat egregiũ exemplum boni Conſilij ad bene beatéque regnandum, & ad eam Reip. moderationem retinendam, in cuius conſeruatione ſalus quoque Regni poſita eſt. Sed propè præuaricari viderer, ſi iam prætermittam quod pertinet ad commendãdum Legationis veſtræ munus, hoc eſt, Regnum & Diadema, quod illa offert, vt Orientales, ſic & Septentrionales populos veſtros, nõ modò eſſe, ſempérque fuiſſe φιλοβασιλεῖς, eáque in re cum Francis conuenire: ſed & Reges ſuos tam venerari, & propè adorare, quàm à Regibus abhorruerunt olim & Græci & Romani. Quod cùm audio, venit in mentem quod apud Plutarchum Artabanus ille Satrapa Perſicus, Themiſtoclem Athenienſem, qui ad Regem Perſarum venerat, monet. *Leges* (inquit) *ô hoſpes, aliæ ſunt apud alios. Vos Græci præ omnibus rebus libertatem laudatis: Apud nos autem ea Lex præſtantiſſima eſt, quæ venerari Regem, tanquam effigiem Dei, iubet.* Sed meminimus tamen Perſas in illa ſua adoratione tam ſtupidos non fuiſſe, quin acutè diſcernerent inter Regem & Tyrãnum: vt & Herodotus narrat, grauiter illos iudicaſſe, & ſapienter dixiſſe, Cyrum quidem, fuiſſe patrem, Cambyſem verò, dominum: Darium autem, mercatorem ſiue κάπηλον. Sed neque veſtris Maioribus defuiſſe vel iudicium vel animum, vbi abdicandi Tyranni fuêre, docent nos Hiſtoriæ veſtræ, & exempla duorum fratrum Regum, Vladiſlai ſecundi, & Miecíſlai tertij: neque quod ex Archiuis Regni veſtri ſecretiori-

bus prolatum eſt, ignoramus, cùm Caſimirus fratri illi ſuo Mieciſlao pulſo ſurrogaretur, quale Anathema, ſubſcribente ipſo Caſimiro, voce Antiſtitis Cracouienſis denuntiatum ſit latronibus & Tyrannis exitio deuouendis, vniuerſo populo & Nobilium cœtu accinente iſtud AMEN. Verum vetus dictum eſt, eum demùm bonos Reges amare, qui malos oderit. & venit in mentem, quod non minuendæ Maieſtatis cauſa, Tacitus, cùm laudaret veterum Germanorum mores ſcripſit: *Nec Regibus eorum infinita aut libera poteſtas.* Et verò ea demùm vera Regna ſunt, quæ legibus aſtricta, ad earum regulam diriguntur: neque propriè Regna dixeris, quæ recta nõ ſunt, ſed effrenata detorquentur in Tyrannidem: de quibus quidem meus Pacatus in ſuo ad Theodoſium Panegyrico, *Illi* (inquit) *illi auidè Regna deſiderant, quos ſoluta legibus delectat vita: quorum crudelitas, indemnatos necandi: cupiditas, priuata rapiendi: libido, honeſta fœdandi, ius atque impunitatem requirunt.* Sed nos opponemus vel illam veterem puerorum cantilenã, quæ Regnum rectè facientibus offert, vt eſt apud Horatium. Rex eris (aiunt) ſi rectè facias: neque ſanus quiſquam admiſerit impuram illam illius & inceſtæ & furioſæ meretricis vocem, *Si libet, licet.* Neque eſt, quod Fricius veſtrâs in ſuo de Legibus libro vel ſe torqueat, vel noſtrum Vlpianum accuſet, quia dixerit, Principem legibus ſolutum eſſe. Id enim (vt indicat inſcriptio) modò dixit ad Legem Iuliam Papiam: ex qua & exemplum illius ſolutionis

proponitur in L.55. & 57. De Legat.2. vt quibus ille legibus ſolutus eſſe dicatur, rectius intelligamus: & obſeruemus quòd in L.3. C. De teſtam. Lex Imperij non niſi ſolennibus Iuris Imperatorem abſoluere dicitur.

Hæc habui hoc tempore Zamoſci, quæ quamuis incondita (non enim aliter potui in hac tumultuaria & iactatione & diſcurſatione & feſtinatione & veluti motoria fabula huius peregrinationis) ad te & ampliſs. tuos Collegas referre vtcunque volui, ex animi mei ſententia, de Legatione hac veſtra, veſtróque, cuius cauſa illa ſuſcepta eſt, Regno: vt cùm aures tuas circumſonet publica Galliæ gratulatio, priuatũ quoque habeas vnius hominis tui ſtudioſi conſenſum, non diſſimilis officij, priuati quidem, ſed non minus vel enixi vel obnoxij ſtudio incitatum. Priuſquàm tamen deſinam, te dimiſſo, peto, mihi vt liceat quod occurrit, breuiter addere, de illo, cuius iam antè memini, ſed ſępius meminiſſe debeo, Principe veſtrę Legationis: dico de illuſtriſſimo Alberto Laſcio. Nam & hæc altera apoſtrophè non ingrata fuerit noſtræ huius Orationis cõcluſio, quam non artificium aliquod eruditum, ſed ſine vlla arte ſimplex veritas & ingenuus affectus exprimet.

Audies tu quidem LASCI, ab aliis fortaſſe plura, & de te & de nobiliſſima tua familia, quæ audiui ex ore tui Franciſci Maſlouij, viri & doctiſſimi & humaniſſimi, & mihi amiciſſimi. Sed & ipſi in tuo Comitatu Duces, Principéſque Circaſſij, qui tibi Re-

gnum suæ gentis deferunt, boni testes esse possunt, quantum tibi debeat Gallia, cuius Henrico, Regnũ maius defers, & huius causam atque dignitatem rei tuæ anteponis. Equidem non is ego sum, qui possim quicquid deberem, dicere de nobiliss. familiæ gentísque tuæ officiis, meritísque erga Franciam, & veteri quadam inter vtrãque necessitudine. Sed ne me quidem omnia eius generis ignorare scito: iudicare tamen ex comparatione, multo pluris esse Legationem hanc tuam, quæ superet officia omnia meritáque Maiorum tuorum, qui huius Regni semper studiosi fuêre. Dicent alij de auo tuo, qui tres filios suos educari in Gallia voluit. Ego primum eorũ, patrem tuum Hieronymum, modò dicam, sic in sinu ipsius Regis Francisci primi magníque educatum fuisse, vt ne quidem carcer & captiuitas alterum ab altero auellere potuerit. Non enim obliti sumus, Regis illius in Italia capti & in Hispaniam abducti comitẽ fuisse, & omnium ærumnarum, quas carcer talis adferre potest, socium & participem lubenter fuisse patrem tuum: vt & scimus Regem illum minimè aut ingratum aut immemorem talis & fidei & amoris & officij, non literis modò, sed & reipsa sæpè testatum fuisse, quãti & illum & totam eius familiam faceret. Nam & admirabatur inuictam illius virtutem, quæ & eluxit in altero carcere, in quem non tam culpa Gritti Turco-Veneti, quàm ingrati Vayuodæ iniustitia incidit vir non minus iustus & innocẽs, quàm fortis: Ingratum Vayuodam dico, qui patri tuo & vitam

vitam & statum & solium suum debebat. Legi quas ex hoc carcere Pannonio ad amicos scribebat literas pater tuus, testes excelsi infractíque & heroici animi: quas cùm legisset Rex Franciscus, non minus commotus est tam indigno acerbóque amici casu, quàm suo: & illo capto vinctóque, captus etiamnum vinctúsque sibi esse videbatur: neque cõquieuit, donec eum gloriosè liberatum esse audiuit: ad cuius liberationẽ non minus auxilij contulit, quàm vel Rex ipsius Sigismundus, vel amicus & affinis Tarnouius. Factum id fuit anno M. D. XXXIIII. Sed vt magis atque magis coniunctionem, officiorum vicibus sępè confirmatam, quæ intercessit inter Regem illum nostrum & patrem tuum, agnoscere etiam nos intelligas, meminimus quid duobus pòst annis acciderit. Legi enim LASCI, literas ab eo Rege ad patrem tuũ amãtissimè scriptas, quas etiamnum publicè in Gallia legi velim, scriptas (inquam) Lugduni XXII. die Iunij, M. D. XXXVI. quo tempore quàm ab hostibus potentissimis Rex premeretur, vix quenquam ignorare existimo. Quid igitur? Confugit ad amicum, cuius eo tempore in Transsyluania regnantis (ô admirabiles rerum vices!) auxilium per literas imploraret: & ipsa statim earum literarum inscriptione palàm testatus est, quantũ illi deferret. Inscriptio enim hæc ab omnibus legebatur: *Illustriß. & magnifico Hieronymo de Lasco, Palatino Siradiensi, Vvayuodæ Transsyluaniæ, dilecto & carißimo consanguineo nostro.* Sed quod literis illis inclusũ legebatur, maius quip-

piam fuit. Neque tamen iam quicquid illud eſt, aut exſcribam aut recitabo. Iſtud modò ex eis repetã & edam: *Venit in mentem nobis eximius tuus erga nos amor & fauor: quo etiam tum præſtabas, quum à nobis nõdum fuiſſes in ſacrum Ordinẽ Equitum noſtrorũ receptus. Age itaque & oſtende, quid tua nunc virtus, quid dexteritas poßit. Nam ſicuti aurũ igni, ita periculo fides percipitur. Ratio autem præſentis temporis & indigentia noſtra expoſcit, vt oſtendas, quia nobis & fortunis noſtris non ſolùm benè faues, ſed etiam opera & factis ades. Magnã fidem & expectationem poſuimus in fide & probitate tua, qui tibi de nobis viciſsim longè maiora quàm vt de his cogitare nunc poßis, polliceri debes.*

Quid dicam, cùm pater tuus magnis de rebus Legatus in Galliam veniſſet, quàm arcto eum propè vt fratrem cõplexu Rex ille exceperit? Quid verò, quid ſi nunc viueret, & te paternis veſtigiis inſiſtentẽ hîc videret? Quid ſi nepoti Regnum deferentem? An olim Rex Maſiniſſa iam ſenex, cùm iuniorẽ Scipionem exciperet, cuius auum Africanum coluerat, maiori gaudio commotus fuit, cùm lachrymis incredibili lætitia expreſſis perfuſus, ſuſpiciens in cælum (iuuat enim quod & antea recitaui, totidem verbis repetere) exclamauit, *Grates tibi ago ſumme Sol, quòd antequã ex hac vita migro, conſpicio in meo Regno & his tectis Cornelium Scipionem, cuius nomine ipſo recreor?*

Age, nihil niſi de Legationibus dicam, &, ſi vis, patris etiã tui fratres, patruos tuos, Legatos magnos, miſſos faciam, vt in eo & te ſolo conſiſtam. Patruos

tuos dico, non illum modò Ioannem, quẽ ex Anglia redeuntem aliquando in Germania vidi, ſed & Staniſlaum, qui à Rege Sigiſmundo Auguſto miſſus ad Imp. Carolũ V. anno M.D.XLVIII. in Auguſtanis Comitiis Imperij, cauſam egit Pruſſiæ, tanta cum admiratione & magni illius Cæſaris & omnium, qui aderant, Germaniæ Principum. Sed ſi quis vnquã Legatus fuit, cuius exemplum, tanquam norma officij, Legatis præſcribi debeat, non ſecus atque olim noſter Mucius Scæuola, Aſiæ Proconſul, eiúſque memoria & veluti effigies omnibus in Prouinciam ituris Magiſtratibus proponebatur: eum ego audio fuiſſe patrem tuum. Nam etſi quas non modò in Galliã, ſed & in Daniam Legationes obiit, nunc prętermittam: an non admirabiles fuẽre, quas etiã ſedecies obiit ad ipſum Solimannũ, Reip. Chriſtianę cauſa? Ipſe Oriẽs vidit, quod in iis admiraretur: & Solimãnus ipſe talẽ Legatum tandẽ reformidans, quem non poterat non reuereri, non putauit, niſi illo ſublato, ſeſe noſtri orbis Chriſtiani & Europę noſtrę propugnaculũ (dico Pannoniam) euertere poſſe: & tamen talẽ Legatum apertè violare auſus non eſt, ſed lẽto veneno clã tentatũ, barbarus Tyrannus dimiſit, in patria & ſinu Regis ſui Sigiſmũdi placidè moriturum poſt varios caſus, poſt tot diſcrimina rerum. Non blãdimur tibi LASCI, neque cuiquã aſſentari didicimus. Sed neque hiſtoriã aut vitam patris ſui deſcribimus: quod ſi ſuſcepiſſem, lõgiorem commentariũ inſtituerem. Verùm & ſi dixero, patris illius tui memoriam glo-

riámque maiorem quoque esse, quàm sit vel ipsius Ioannis Tarnouij, quem habuit & amicũ & socium & affinem: & quem inter Polonię decora, quę hodie quoque laudari lubenter audio, meritò celebrari fateor: nihil dixero, quod nũc & Tarnouius ipse agnouerit: & tamen Tarnouiũ illũ dico, cui ipsa Italia, honoris causa, accinere, Iulij Iouij voce, non dubitauit:

Salue ô Sarmaticæ gentis fortißime Ductor,
Iustitia atque armis quis se tibi conferat vnquam?
Sarmata magnanime, agnoscet ventura vetustas,
Nullum posse tibi similem monstrarier orbi.

Sed neque si de comparatione Legationum agatur, cesserit pater tuus, tametsi Tarnouium vestrum non nesciam totũ penè terrarum orbẽ nobilissima peregrinatione peragrasse, neque modò Asiam, Syriam, Ægyptum, Africã ad ipsum vsque Oceanum Atlanticũ, vbi & aduersus Barbaros fortissimè dimicauit pro Rege Lusitano, sed & ad Leonem Pont. & ad Imp. Carolum V. missum esse, tandémque in patriá reuersum, Regiis copiis sic præfectum fuisse, vt Poloniç veluti Imperator esset & diceretur. Quia verò de gloria rei militaris nunc non certatur, nolo LASCI, comparare illius cum tua, victoriam & triumphum de Moldauia: nolo quęrere, an ille fortius iustiúsque Petrum Moldauię Regulum vicerit, an tu Alexandrum Tyrãnum profligaris. Illud nunc modò volo, neque patris tui Hieronymi, neque illius Tarnouij Legationes, quantũuis nobiles & illustres, posse cum hac vna vestra comparari.

FINIS.

Hist. Polon

a, gener